









15. 44. Cr. 77. num. 77.  
VERO JEHOVAH FORTUNANTE!  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM

1701, 6a

DE  
EO, QUOD JUSTUM  
EST CIRCA INQUISITIONEM  
IN AUTOREM RIXÆ, SI DE  
OCCISORE NON CONSTAT,

9  
/

IN ALMA VIADRINA  
SUFFRAGANTE FCTORUM FACUL-  
TATE AMPLISSIMA

SUB PRÆSIDIO

DN. HENRICI COCCEJI,  
ICTI

CONSILIAR. S. REGIÆ MAJESTATIS IN BORUSSIA  
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIÏ & PROFESSOR. PRIMARIÏ &  
h. t. DECANI. SERENISSIM. & POTENTISSI. REGI IN  
BORUSSIA AB AUL. REG. & ELECT. CONSILII.  
ANTEA SUMMI CONSILLII STAT. ELECTOR. PALATIN;  
& COLLEG. REVISOR. ASSESSORIS IN ACADEM. HEIDELBERG.  
DECRETAL. PANDECT. & JUR. GENT. PROF. PUBL. ORDIN.  
*Fautoris & Præceptoris sui ad cineres Devenerandi,*  
HONORES IN JURE UTROQUE ET DOCTORALIA PRIVI-  
LEGIA CONSEQUENDI


publico examini submittit

AdD. XI. Junii horis ante- & Pomeridianis, Ann. MDCCCI.

CHRISTOPH. ERDM. NEANDER,

Francofurt. Marchic. Jur. Practic.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Literis TOBIÆ SCHWARTZIL,





NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CON-  
SULTISSIMIS, AC PRUDENTISSIMIS,

**D N. SIMONI**  
**CHRISTOPHORO**  
**URSINO,**

J. U. D. Ejusdemque PROFES. PUBL.  
EXTRAORD. ET CIVITATIS FRANCOF.  
SYNDICO MERITISSIMO,

**DN. HIERONYMO**  
**VIESEMEYERO,**

JUDICI CIVIT. HALBERSTAD. PRU-  
DENTISSIMO NEC NON AUGUSTI REG. IN BORUSS.  
ET ELECT. BRANDENB. DICASTERII HALBER-  
STADIENSIS ADVOCATO ORDINARIO,

ET

**D N. PAULO**  
**KOHLHARTHO,**

STARGARD. POMER. DICASTERII  
ADVOCATO CONSULTISSIMO,

**D O M I N I S**

*Tum affinitatis, tum amicitiae vinculo junctis.*



AFFINES AD CINERES  
COLENDI.



Eliberantem me ac  
reputantem, quem-  
nam potissimum hu-  
ic, quaecunq; etiam  
sit, specimini Patronum quaererem,  
tandem tum singularis & insolitus  
erga me meosq; favor, tum magni-  
tudo beneficiorum à Vobis collato-  
rum, tum deniq; arctissima illa ami-  
citiae & affinitatis necessitudo, quae  
) 2 vobis-



vobiscum mihi intercedit, ut vestris  
præcipuè illud inscriberem nomini-  
bus, me adduxit, calcarq; mihi addi-  
dit. Cùm enim & aliàs boni corda-  
tiqve viri partes sint, gratò animò  
officium officio reponere, non pos-  
sum ego, occasione hâc oblatâ, mi-  
himet ita deesse, ut Vestram bene-  
volentiam, quasi occultâ quapiam  
vi & plurimarum causarum conspi-  
ratione æternùm mihi conciliatam  
servare, ac vicissim demereri negli-  
gerem. Esto igitur hoc pignus &  
monumentum foederis naturæ au-  
spicio, vestrisqve erga me meritis  
maximis contracti, quod nullus un-  
quam



quam genius malus solvere ac diri-  
mere valeat. Hâc spe fretus, eò  
magis mihi libenter blandior, Vos,  
AFFINES ÆSTUMATISSIMI, hoc pieta-  
tis & officii non munera ac dona, sed  
animum offerentis exile licet ac te-  
nue signum generosarum mentium  
more serenâ fronte suscepturos, me-  
que vestrò affectu perpetuò digna-  
tuos esse

VESTR. AFFIN. ÆSTUMAT.

humillimum

Christoph. Erdmann. Neandrum



**S**uceffor Patriæ Virtutis & Heres avitæ,  
Ipseque sincero nulli candore secundus  
Stemma Novo decorare suum contendit Honore;  
Nec dubito, quin se Majorum more Suosque  
Communi sacraturus sit porro saluti:  
Sic memori seclis venturis voce eanetur  
Patris, Avi, Proaviq; Decus, Generisq; NEANDER  
Spes ingens, Pindi non ultima Gloria nostri.

*Amicissimi olim Sui B. NEANDRI  
Filio Optimo pro Doctore Disputanti  
adsc.*

J. C. Becmannus SS. Theol. D.  
& Prof. Ordin.

**F**Orensi arenâ exercitatus, & castris  
Nutritus Astræ, vetus diu miles  
Virtute pulcrâ non <sup>Νεάδρα</sup> Veteranum  
Sed Te geris, pugna acer & tenax palma.

In Clarissimi Dn. Candidati honorem hæc adscripsit.

Præses.

**T**urpe reos emta fontes defendere lingua,  
Et pretio vocem prostituisse suam:  
Ut meretrix olido mercabilis ære movetur,  
Quam Pluto exacuit, non pudibundâ Venus.

Tu



Tu meliore fide propugnans jura, NEANDER,  
Pro parte innocua semper in arma ruens,  
Ergo etiam Themidis Tibi praemia sancta dabuntur,  
Pro quibus in cathedra praelia docta cies.  
Gaude; Hanc Auroram lux ter formosa sequetur,  
Tuque tribus gradibus sydera summa petes,

*Ita Clarissimo nec non doctissimo Candi-  
dato applaudit & gratularur*

MARCUS Rhode / D.

Cod. Juff. P. P. Ord. & Jurid.  
Facult. Senior.

*Sic legis intrepidus docti vestigia Patris,  
Qui modo conticuit, nunc redivivus adest.  
Sicq; novo Patriam decorando nomine famam,  
Prima Neandriaca gloria Genis erit.*

Clariss. Dn. Neandro, Majores suos gloriosis  
vestigiis persequenti, cum voto omnige-  
nae prosperitatis applaudit

TH. Siegr. King / D.

**I**nquiris, dubitas, decidis; iudice sub quo  
Lis est? Tu meriti Te facis ipse reum.  
Praeside sed magno, tanto dum iudice certas  
Victricem referes non sine laude manum.

Nobilissimo & Clarissimo Domino Candidato de laurea Doctorali  
merito suo parta, occasione dissertationis arrepta, gratulari vo-  
luit ad omnem ceterum testandi officii copiam sibi factam  
promptitudinem testaturus

h. p.

J. à Schulz Szulecki, Consil.

Reg. & Jnr. P. P. Ord.



**S**Trenuus inſiſtit Patris veſtigia Natus,  
Et vetus in ſimili renovatur Prole NEANDER.  
Curia, Judiciꝝ Præſes, lectuſque Senatus  
Applaudunt. Tegis innocuos, & turba nocentum;  
Te cauſas orante, tremiſit, facunde NEANDER.  
Nunc etiam Themidis cathedram cum laude frequentas,  
Senſim ad Juſtitiaꝝ ſummos abiturus honores.  
Perge in virtutis procedere, tramite pulchro,  
Et *vix a* autores pœniſ; oſtende cruentis,  
Et voce ingenua pacis defende patronos.

*Paucula gratulabundus aſcripſit*

Michaël Rhode, J. U. D.  
& P. P. Ordin.

---

**I**N *Praxi* multum verſatum, CLARE NEANDER,  
Te tenus hac vidi, rigidum cur quæſo ſubire  
Optas *Examen*? Dic, *Practicus* an ſolet eſſe  
Absque *Theoriâ*? Non nunquam: Nam Rabulæ ſunt,  
Sunt, qui collectis exemplis ſæpe perorant  
Elati cauſas. Hinc quæ *Prudentia Juris*  
Sit Tibi ſolemniſ tua Diſſertatio tradit,  
Et dignum *Praxis* Te monſtrat Honoribus eſſe.  
Sit Tibi perpetuæ laudi ergo *Scientia Juris*,  
Et *Praxis*, ſit DOCTORIS Tituluſq; futurus.

*Officii & Amicitia gratiâ*  
f.

Jo. Petrus Thiele/ J. U. D. & Prof.  
Publ. Extraord. ac Cam. Reg. & Elect.  
Advocat. Ordin.







I. N. D.

CLASSIS I.

DE

INQUISITIONE ET AUTORE  
RIXÆ IN GENERE.

SUMMARIA.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Inquisitionis definitio.  | 6. Commendata etiam In-   |
| 2. Fundata hæc in Jure natur.  | quisitio Jure Carolino.   |
| 3. Deinde quoque in Jure divino, quod probatur ex S. Scripturâ, ubi simul ea, que ob stare videntur loca, ex novo Test. resolvuntur. | 7. Moribus & consuetudinibus quoque frequens, imprimis in Marchiano-strâ. |
| 4. Fundata quoque in Jure Civili: ibidem Responsio L. ult. C. de Accusat.  | 8. De Autore rixæ in genere.  |
| 5. Alia objectio movetur & resolvitur.   | 9. Aliter verbum Autoris in L. 15. C. de usu fruct. & habit: accipitur.   |
|  | 10. Aliter in tit. instit. ff. de Autor. & consens. tut. & curat.         |

A

II, Ali-



- |  |  |
|--|--|
| <p>11. Aliter in contractuam materiã.</p> <p>12. Donator quoque sustinet hanc denotationem.</p> <p>13. Aliter in L. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. que acceptio nostro proposito satisfacit. Ibidem definitio Auctoris rixæ.</p> | <p>14. Divisio Inquisitiones communissimas, contra Oledendorpium, qui unam eandemque saltem statuit, &amp; alios, qui triplicem faciunt inquisitionem.</p> <p>15. Differentia inter generalem &amp; specialem Inquisitionem.</p> |
|--|--|

## §. I.

**I**nquisitionem Autoris Rixæ exhibituro, ne vocum descriptiones, etsi brevibus paucisque, præfari omittat, in primis id negotii incumbet. Igitur quod verbum *Inquisitionis* attinet, nullum fore mihi persvadeo, cui non satis perspectum sit, vocem *Inquisitionis* ab inquirendo derivari; sic quoque in vulgus patet, eam formaliter describi solere per legitimam informationem ex mero Judicis competentis officio ad investiganda delicta descendente. *Carpz. P. III. Prax. Crimin. Qu. 107. n. 5.* Quicquid aliàs sentiant DD. citati à *Bartol. in L. 2. §. si publ. ff. ad L. Jul. de Adult.* Re enim penitiùs inspecta per Inquisitionem nihil aliud quam ipsa informatio à Judice legitime facta, & per *inquirere* nihil aliud quam veram informationem delicti commissi seu perpetrandi capere, intelligi potest. *arg. L. 1. C. de Custod. Reor. Novell. 128. c. 21.*

## §. II.



## § II.

Fundata verò est hæc inquisitio in ipso Jure naturæ, utpote quò necessariò potestas aliqua ad jura regenda & contra invito exequenda, delictaque puniendi, constitui debuit; certum autem est, & ex ipsâ mediū sequitur necessitate, quòd, cum potestas hæc justitiam administrandi, delictaque puniendi, homini data sit, ei omne id datum censeatur, sine quò Justitia contra delinquentes explicari nequit; At verò in dubium non vocabitur, sine inquisitione maleficia investigari ac puniri non posse: & hinc inquisitionem per consequens Juris naturalis esse in confesso manet. *Excell. Dn. Pres. in Posit. 13. Jur. Gent.*

## §. III.

Commendata deinde quoque invenitur Jure divinò *Deut. XVII. 2. 3. §. 4.* ubi Lutherus: Wenn unter dir in der Thor einen / die dir der Herr dein Gott geben wird / sich finden wird &c. & paulò post in versicul. 4. Und wird dir angesaget / und hörest es / so solt du wohl darnach fragen / und wenn du findest / daß es gewiß wahr ist &c. Cum quò congruit *cap. preced. XIII. 12.* ubi eadem verborum formula traditur, Judicesque ad inquirendum indefessè admonentur. Nec obstat hinc sermo Servatoris nostri apud *Johann. cap. VIII. 11.* ubi adulteram mulierem ita alloquitur: *Mulier si nemo te accusat, nec ego te condemno.* Ex quibus inferunt DD. ubi nulla accusatio, ibi nec pœna aut condemnatio ita per consequens nulla inquisitio erit. At verò Resp. Servator non ideò abstinuit sententiã, quòd accusatio defecerit



rit ( illa enim non defuit, *vid. cap. V. 10.* ) sed quòd Judicem secularem agere noluerit, verùm majoris perfectionis ac virtutum interpretem & Doctorer se gesserit. Hoc verò officium in Processu præclar. exercuit: nam cùm ipsi à Pharissæis adduceretur prædicta uxor in adulteriò comprehensa, ut per suam sententiam eam condemnaret ex L. Moïsis, adeò rem non curavit, ut aliud ageret & lineas duceret; factòque hoc ostendit, quàm ad se hanc rem pertinere noluerit; Urgentibus verò Pharissæis, tandem ita se extricabat: Qui inter vos sine peccatis est, primum lapidem projiciat in eam: quæ non erat sententia de factò delatò, sed doctrina moralis ad delatores, ne in aliis reprehenderent, cujus ipsi magis rei existerent. Quam doctrinam ex professò inculcavit *Matth. VII. 1. & seqq. & Luc VI. 37. 39. & seqq.* Pariter egit cum adulterâ; quam nec condemnavit, nec absolvit, quæ sunt partes Judicis; sed cum monitis de pœnitentia & emendatione vitæ dimisit. *conf. Luc. XII. 13. & Excell. Dn. Præs. Posit. ult. pro explicat. Jur. Gent. Aliter Paulò dict. loc. Johannis Carpz. Prax. Crim. P. III. Qu. 103. n. 26.* interpretari aggressus est, & quòd nemo sine accusatore damnandus sit, arguere inde videtur: quam sententiam salvâ autoritate & existimatione incomparabilis Jcti, ita absolutè meam facere aut ex ea sola ratione defendere inquisitionem non andeò, sed & ipse postea *n. 37.* non multum à nostrâ hac explicatione recedit. *Add. Exod. II. 11. & 13. Prov. XX. 8. & cap. XXIV. 11.* Inquisitionem deinde confirmavit ipsum  
 Jus



Jus Canonicum, ostendique id poterit satis clarè ex  
cap. si audiveris 32. c. 23. Qu. 5. & cap. Evidentia 9.  
c. qualiter 17. item cap. 24. X. de accusationibus.

§. IV.

Quid de Jure civili sentiendum, paulò gra-  
vior est quæstio; Putant enim nonnulli, regulariter  
hoc jure prohiberi inquisitionem, per L. ult. C. de ac-  
cusation. ubi: ut quicumque in discrimen capitis accer-  
situr non statim reus qui accusari potuit existimetur, sed  
quisquis ille est in judicium veniat, nomen rei indicet,  
vinculum inscriptionis arripiat, custodia similitudinem  
patiatur. Hinc generaliter concludunt, non pos-  
se quem reum reputari aut in aliquem inquiri, nisi  
quis adfit, qui vices accusatoris suscipiat. Verùm,  
spretis his omnibus, regulariter eam permitti juxta  
L. 13. ff. de officio Præsidi. asserere non dubito: quip-  
pe Præsides ibi malis hominibus, uti latronibus, Sacri-  
legis, furibus, Rempubl. purgare admonetur: quor-  
sum pertinet L. 7. C. de accusation. quâ ipsâ citra so-  
lennem accusationem judici talis licentia data dicitur;  
imò Reipubl. interest, ne crimina, etiam cujuslibet  
generis, maneat impunita. arg. L. 4. ff. ad L. Aquil.  
Et, cum Magistratus officium sit, vindicare crimina,  
sufficit, si resciverit, ea commissa esse, quod per ac-  
cusatorem fit regulariter: qui proinde non interve-  
nit ut requisitum vindicandi criminis, sed ut instru-  
mentum ejus cognoscendi; & igitur, si aliunde id  
cognoscitur, perinde est. arg. §. si quidem. 24. Inst. de  
Legat. Itaque d. l. fin. de sola accusatione, non verò  
inquisitione intelligendam esse autumo, & merito  
A 3 additum



additum, ne statim quis pro nocente habendus sit, qui accusatur, forte calumniose. Neque ut quis accuset, sed ut ipse in Judicium veniat & cautionem præstet, insuper in alleg. textu desideratur.

## §. V.

Nec secundo obstat, quod *Ulpianus in L. 6. §. 2. ff. de Munerib. & Honorib.* asserit, quod nemo debet; honoribus vetari, qui accusatorem non habeat, sed Resp. (a) A cessatione unius effectus non posse inferri ad cessationem totius rei. Et si inquisiti nondum veterentur honoribus, sed tantum accusati, inde tamen non sequitur, inquisitiones non fuisse licitas. Ita in accusatione requiruntur solennia libelli *L. 3. ff. de accusat. litis contestationum; L. 20. ff. cod. quæ cessant in Inquisitione. c. 5. §. sunt & alii X. ut lit. non contest.* Resp. (β) Quod ibi dicitur de Accusatione, non excludit idem Jus in inquisitione, quippe quæ & ipsa in locum Accusationis succedere solet. *cap. cum oportet. 19. X. de Accusat. Maranta de ordin. Judic. P. II. n. 3. p. m. 18.*

## §. VI.

Jure Carolinò præ cæteris arridet *Artic. 219.* ibi: Wo aber die Obrigkeit ex officio und von Ampts wegen wieder einen Mißhändler mit Peinlicher Anklage oder Handlung vollführe / so sollen die Richter &c. Hæc etiam corroborat *Artic. præced. 214.* ubi læso non agente vel accusante, Judici ex officio reum in vincula conjicere, in eum inquirere, & pro qualitate delicti punire committitur. Et hinc ultimum locum dicit. *ordin. Crimin. de*



de Accufatione non fatis accuratè intelligit ac explicat celebr. Jctus Matthias Stephani in annot. ad dict. artic. 214. dum in isto Articulo inquisitio, deficiente accufatione, Judicis officio clarè commiffa, & eventualiter præcepta videtur. *Pet. Heig. P. I. Qu. 39. n. 20.*

## §. VII.

Tandem ad mores confuetudinesque me accingo, ubi verò res procul dubio fatis est clara, imò, quamvis Jure civili inquisitionis Processus ad extraordinaria remedia referri folet, de confvetudine tamen hodiernâ ad ordinaria, qualis ipfa est accufatio, fpectat. *Clar. Lib. V. fentent. §. ult. Qu. 3. n. 6.* quod ita infpécie in Marchia noftra præcedenti feculo per Confutationem expreffam Electoralem cautum fuit, cujus verba, ( quoniam hæc confitutio in omnium manibus non verfatur ) apponam; ibi. *in Judicio criminali per viam inquisitionis procedendum; und die Urſache des verdachts nach Brandenburg zu verſchießen und zwar dieſelbe Urſache zu articuliren und zu belehren / ob die zur Gefänglichen Einziehung gnugsam &c.* imò talis confvetudo eò magis conſervanda, quod jure divino & naturali maximè conveniens eſt, nam & in ſacro Codice Judicantibus acriter imperatur, ne ad delicta connivere præſumant, ſed potius eorum punitionem; ad evitandam, rem peſſimi exempli, dum nemo invitus ad agendum aut excuſandum compelli poſſet, & ſic delicta remanerent impunita, inprimis curare teneantur. *conf. capit. Quamvis X. de Reg. Jur.*

## §. VIII.



§. VIII.

Generalibus hisce de inquisitione, ejusque usu excussis, ad vocem autoris rixæ me confero, & cum verbum hoc diversimodè in jure capiatur, ac multifariam patiatur significationem, hoc vocabulum paulò penitiùs perlustrabo.

§. IX.

Frequens primò est ea acceptio Jctis, quâ verbò autoris eum, cujus autoritate quid factum est indicant, qualis significatio est in *L. 15. C. de usufr. & habit.* ubi juris peritissimus Salvius Julianus hoc titulo condecoratur ab ipso Imperatore, *conf. Föster. Histor. Antiq. Jur. civil. L. II. c. 73.* eodem modo accipitur in *L. 2. §. 13. ff. de origin. Juris.*

§. X.

Aliter explicatur in *iii Institut. & ff. de auctoritate & consensu tutor: & curat.* ubi tutor autor dicitur fieri i. e. quod agitur probare negotiumque confirmare. *L. 3. ff. cod. tit.* Ita in *L. 7. ff. ejusd. tit.* tutor etiam in rem suam aliquando autor fieri reputatur.

§. XI.

In contractuum materiâ non rarò terminus iste occurrit, siquidem communiter venditor hoc ipso titulo indicatur *L. 63. §. 1. ff. de Eviction.* ubi Cajo Seja fundum Tusculanum à Lucio Titio emerat, & quæstione motâ Fisci nomine autorem i. e. venditorem, laudaverat, & in §. seq. *ibi. si emptor appellavit bonam causam vitio suo ex præscriptione perdidit, ad autorem reverti non potest. add. L. 53. §. 1. cod.*

§. XII.



## §. XII.

Similiter in donationibus sæpe donator eandem sustinet denotationem *L. 3. C. de Donut. qua sub Mod. & condit. ibi. Ei, qui liberalitatis autor fuit &c.* Neque infrequens in materiâ delictorum est vox ista, ac regulariter sumitur pro eò, cujus intuitu seu suafu negotium seu delictum susceptum ac inceptum est. Huc referunt *L. 20. C. de Furt. ibi. Domino concedente res ejus ad suasionis autorem perculerit &c. L. 38. §. 2. de pæn. tot. tit. de seditios. item per quem factum, quo minus quis in Judiciò &c.*

## §. XIII.

Sed nulla harum, quas jam exhibui, locutionum proposito meo præsentì satisfacit, & hinc propius jam rem aggredior, ac eâ mente, animoque autorem rixæ intueor, qualis in ipsâ *L. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. inspicitur.* Occasione ergò hujus *L. definimus eum, quòd sit is, à quò primum injuria, & rixæ causa cæpit, unde ipsa interdum mors evenire solet.* Dico, à quò injuriæ illatæ cæperunt, sive scilicet reales sint sive verbales, has namque jurgium sequi solet, donec tandem ad ipsam rixam mortemque perveniatur. Vocatur aliàs hic autor Princeps & principium injuriæ. *conf. Brunn. in Comment. ad dict. L. 52.* Ira quoque rixosi audiunt omnes, qui rixis talibus delectantur, tanquam re abominabili universis, inter quos nempe naturâ cognatio intercedit. *add. L. 3. ff. de F. & F.*

## §. XIV.

Misô hóc fonte Inquisitionis & autore rixæ

B

&amp; vo-



& vocabuli descriptione explanatâ, ad ejus divisionem pedem promoveo, non tamen agnoscendo triplicem inquisitionem, specialem nimirum, generalem, & generalissimam, multò minus generalem, specialem, & mixtam &c. quales distinctiones prolixè allegat *Carpz. P. III. Qu. 107. Prax. Crimin.* sed amplectendo communissimam DD. divisionem inquisitionis; in generalem nimirum, & specialem. Ut ut enim eam somnium dicat *Oldendorp. Class. VII. n. 5.* in somniò hæc potius dixisse ideò videtur, quia rationem negationis in eò ponit, quòd generalis cum effectu esse nequeat, nisi ad specialem tandem progrediatur: Sæpissimè namque contigit, ut per generalem inquisitionem Judici quidem de corpore delicti, non tamen de personâ delinquentis, contra quam specialem inquisitionem formare possit; vel è contrario, ut de personâ delinquentis, non autem de delictò certò ac specificè constet; quò utròque casu ad specialem neutiquam aditus Judici patet. Inventa proinde est generalis, ut cum fructu fiat specialis.

## §. XV.

Generalis dicitur tam ratione delicti, (ut scilicet Judex inquiret, an delictum commissum) quam ratione delinquentis, quis nimirum id commiserit, *cap. sicut olim 28. X. de Accusat.* Specialis verò, quâ Judex in delictum & personam, in generali inquisitione suspicionibus gravatam, specialiter inquiret. *cap. Inquisit. 21. §. ad hâc X. de Accusat.* Illa præparatoria est ad inveniendum delictum & delicti autorem, de quò



quò curia nondum habet notitiam; Hæc illam sequitur, & ad maleficium puniendum comparata est. L. 2. §. si publico ff. ad L. Jul. de Adult. Carpz. P. III. Qu. 106. n. 10. seqq.

## CLASSIS II.

### DE

## INQUISITIONE RITE INSTITUENDA AD CONVINCENDUM AUTOREM RIXÆ, SUMMARIA.

- |   |  |
|---|--|
| <p>1. Inquirat in autorem rixæ Judex competens, non verò nisi præviis indicitiis.</p> <p>2. Ad Inquisitionem hanc sufficit testimonium unius testis.</p> <p>3. Sufficit etiam fama publica ad inquirendum; aut si actori delictum hoc in Judicio objiciatur.</p> <p>4. Idem operatur confessio vulnerati.</p> <p>5. Item inimicitia capitalis occisi.</p> | <p>6. Item propria autoris confessio.</p> <p>7. Quomodo &amp; quando specialiter in autorem rixæ inquirendum, &amp; in hac speciali inquisitione testes ante litis contestationem inquisiti num examinentur. ibid. quomodo examinari debeat.</p> <p>8. Cautela pro Judice ratione accusatorii Processus.</p> <p>9. Quomodo examen formandum.</p> <p>10. Lite negativè contestatâ, autori rixæ defensio non</p> |
|---|--|



- non deneganda: item de probatione negativa.
11. Autore rixæ in probatione succum bente, non statim hic torquendus it, quomodo convinci possit autor.
12. Qualis probatio in hoc delicto admittenda? Non verò semiplena, nec ipsum Principis assertum hic attenditur. Item de modo probandi per Indicia.
13. Indicia interdum operantur, ut torqueri possit autor: item de gradibus torture.
14. Tale est indicium, si autor cum gladio nudato in rixâ visus, aut ipse occisi inimicus fuit; & quando cesset. *ibid.*
15. Tale indicium facit ipsa confessio propria certò respectu extra judicialis; & hæc probanda plene. *ibid.*
16. Idem efficit depositio unus testis, omni exceptione majoris (*ibid. lex obst. resolvitur.*) Non verò fama publica.
17. Fuga etiam inquisiti interdum operatur: interdum ipsam condemnationem. *ibid.*
18. Quandoque etiam inimicitia capitalis.
19. Id quoque colligitur ex mendaciò seu variatione responsionis inquisiti.
20. Interdum & ipsa attestatio occisi, concurrentibus aliis adminiculis, alias non. *ibid.*
21. Non verò periculosissimum illud indicium, profluxio sanguinis.
22. Notantur due cautelæ pro iudice, & quando torture reiteranda. *ibid.*
23. Si plures torquendi à quonam incipere debeat *Judex.*



## §. I.

Inquisitio in autorem rixæ locum ut obtineat legitimum, præsupponit præcipuè judicem, vel ratione domicilii, vel delicti committi, vel deprehensionis rei, de quò *Carpz. Prax. Crimin. P. III. Qu. 110. n. 8. & seqq.* competentem, merum imperium, ac potestatem, uti vocant, gladii, seu de causis criminalibus cognoscendi ac crimina puniendi habentem. *arg. L. 3. ff. de Jur. dict.* Non tamen ipsum posse vel generaliter vel specialiter inquirere, nullis præviis indiciis, instrumentis, aut testibus, patet *ex arg. L. fin. C. de probat.* nam ut & hîc cautè procedat, necesse est, quippe per inquisitionem, etsi generalem, viri existimatio fugillatur, & facile læditur. *Mænoch. Lib. I. Qu. 89. n. 10.* & æque publicè interest, atque ad tranquillitatem reipubl. pertinet, ne cives & boni viri facile inquietentur, quàm ut fontes puniantur. Observet præterea LL. & consuetudines cujusve loci *arg. L. 6. C. de accusat.* ne aliàs exceptio inepti Libelli, seu potius ineptæ inquisitionis processum reddat nullum: *arg. L. Libellorum §. I. ff. de accusat.* Inprimis igitur causas, quibus judex ad inquirendum impellitur, pertractandas esse arbitror.

## §. II.

Ad inquisitionem igitur ritè instituendam, sufficere solet primò testimonium unius testis, etsi non omni exceptione majoris: imò DD. eum in casum id extendunt, ut locum ea habeat etiam ubi inimicus tale testimonium de autore rixæ deposuerit; quod tamen rectius non admittitur *per c. 24. vers. ex*



quibus *X. de accusat.* necesse verò in primis est, ut appareat de delicti corpore: *Böff. in tit. Inquisit. n. 4.* nullo enim delicti corpore existente, nullus hujus inquisitionis poterit esse effectus.

## §. III.

Secundò institui potest inquisitio præcedente famâ publicâ, seu diffamatione, scil. hanc vel illam personam circumferri tanquam autorem rixæ: *cap. qualiter & quando 24. X. de accusat. L. 2. §. penult. ff. eod. arg. L. 3. supra alleg. de officio Præsid. & hanc ob causam ut iudex ulterius procedat, curare debet v. g. ut in autorem famæ inquiret, quem si repererit esse fide dignum, etiam specialiter inquirere in nominatum delicti autorem poterit; aliàs verò, si vani saltem & vagi rumusculi feruntur, & vel eorum autor non satis sibi constet, vel non idoneus sit, saltem generaliter inquiret, quis sit autor? non autem v. g. an Titius sit? quâ de re *conf. Brunn. in Process. inquisit. c. IV. n. 14.* Idem dicendum, si v. g. quis causam civilem instituat, & per modum exceptionis auctori tale delictum objiciatur, tunc enim iudici competenti satis via inquirendi aperitur.*

## §. IV.

Tertiò sufficiens solet esse indicium, confessio, & assertio in ipsâ rixâ vulnerati. *per L. 22. ff. ad Scutum Syllan.* non tamen talis denunciatus pro accusatore declarandus, cum modus per denunciationem procedendi minimè à modò inquirendi differat, imò iudici potiùs viam monstret & ostendat, quâ



quâ per inquisitionem autorem delicti convincere possit. *Carpz. Lib. III. Qu. 108. n. 54.*

§. V.

Quartò judici inquirendi via præparatur in casu, ubi inter occisum seu vulneratum, & nostrum autorem, magna ac gravis inimicitia intercessit, aut minæ præcesserunt, præsertim, si iste potens sit, qui minas suas facillè exequi valeat. *art. 32. Constit. Crimin. ad hunc conf. Stephani not.* multò magis, si fugerit autor, & constet de corpore delicti.

§. VI.

Quintò causam inquisitionis sufficientem supeditat propria autoris confessio extra judicialis: *art. 32. Constit. Crimin. ibi: So einer gnugsam überwiesen/ Daß er von ihm selbstem Ruhms/ oder ander Weise ungenöhtigter Dinge gesagt hat &c.* modò non risus jocive causâ talia locutus sit, ut præstantis & audacis nomen mereatur *Clar. Qu. 21. n. 4.*

§. VII.

Hòc modò inventâ jam certâ personâ, vel propriâ suâ confessione vel per alios satis gravatâ, vindendum jam porrò, quâ ratione in eum speciali inquisitione procedendum, & quomodò contra eum jam in specie dirigendus sit processus? Et quidem primario inquisitus, contra quem præcedentia extant indicia, præviâ captivitate examinandus venit, ita ut ad Articulos inquisitionales respondeat, quod est instar litis contestationis. Puto, præviâ captivitate, quoniam specialis hæc inquisitio non nisi contra Inquisitum, seu autorem præsentem formari potest,



est, & hinc, ne hic per fugam inquisitioni se eximat, & per consequens totum processum faciat elusorium, in carcere ( qui tantum custodia, non pœna esse debet. *L. 2. C. de custod. Reor. art. II. const. Crimin. add. Stephen. ad ult. artic.* ) conjiciendus est; iudex tamen hic circumstantias & qualitates observet, antequam ad capturam se conferat, necesse est; siquidem multa circa hæc delicta occurrere possunt, quæ omnia LL. definita non sunt. *Clar. Lib V. Sent. §. ult. Qu. 28. n. 2.* ( non autem in hæc, uti in generali inquisitione, testes audiendi sunt, antequam ab inquisitione contestata sit. *Brunn. Process. Inquisit. c. 8. n. 2.* ) In illis verò articulis omnes ut ponderentur circumstantiæ delicti auctoris rixæ, v. g. quò locò, quò mense, quibus personis, quâ die & horâ, si auctor hic urgeat, & in iis defensionem quærat, rixa incepta, & commissa sit, prudenter monet *Maranta in Speculò Aurèò p. VI. n. 37. p. m. 300.* ne inquisito huic aliàs defensio tollatur, quæ ipsi nunquam deneganda est. Quomodo verò in eâ ratione probationis ac deductionis innocentia procedendum sit, *vid. Carpz. P. III. Qu. 115. prax. Crimin.*

## §. VIII.

Notanda hîc etiam cautela pro Iudice, qui videlicet, antequam inquisitionem formet, citare, possit offensum in rixâ, aut proximiores occisi consanguineos, quibus competit Jus injuriam suorum vindicandi & prosequendi; *Gloss. in cap. Presbyter. Qu. IV. Harprecht. in princ. Instit. de injur. L. §. 5. ff. eod.* ut declarent an accusationem instituere eamque pro-



prosequi velint; quoniam, si apparet accusator, cessat inquisitio, & ubi adest remedium ordinarium ibi expirat extraordinarium, quale de jure civili est inquisitio. *L. 2. C. de accusat. Marant. cit. loc. n. 38.* Imò accusatore succumbente in probatione, nihilominus postea Judex ex officio inquirere poterit, & quidem eò magis, si evidentiones præsumptiones se offerant. *Clar. §. fin. Qu. 57. n. 3.*

§. IX.

Quod ipsum jam examen concernit, iudicis partes erunt, ut in formatione Articuli singula singulis includat, non verò unò articulo plura contineantur, v. g. *Ob der Inquisit die Schlägerer angefangen / und nachgehens den Entleibten erschlagen &c.* & sic optimè à Scabinis Lipsiensibus pronunciarum: *Daß inquisit noch einstens Articul weyße zu befragen / und seine Frage auf jede Articul / darin nichts als ein Interrogatorium zu setzen / absonderlich zuthun angehalten werde.* *Carpz. P. III. Qu. 113. n. 34.* sed & super omnibus circumstantiis eum interroget, necesse est, v. g. *Ob inquisit den Entleibten nicht kenne? ob er Freundschaft mit ihm geflogen? ob er sich nicht mit ihm verzürnet? wo solches geschehen? &c.* *Artic. 46. Const. Crimin.*

§. X.

Si omnia neget constanter autor rixæ, non statim Torturæ eum subjiendum esse præstantes arbitrantur DD. nec ipsi propterea deneganda erit defensio, quâ innocentiam suam Soli exponere paratus est, vel per se, vel per alios, de quibus prolixè

C

*Carpz.*



*Carpz. P. III. Qu. 415. L. 5. in princ. L. 19. de pœn.* inprimis si negativam probare velit, & ostendat, illò tempore seu die, vel eâ horâ ipsum in hóc vel illò locò non fuisse, ubi scil. rixa, aliaque mala commissa sunt. Benè igitur faciet hic Inquisitus, si indicia adversus se adducta contrariis conjecturis tollere ac elidere valeat, quod DD. Practici in genere vocant: *probare suum alibi*: Ita Roscius, cùm diceretur occidisse Patrem, defensus à Cicerone hóc argumentò: A scenâ rediens, occisus est ad Balneas Palatinas: Ruri fuit filius. Ergò non occidit patrem filius. *vid. L. 185. de R. 7. Artic. 47. Const. Crimin. Menoch. L. 5. præsumpt. 48. n. 10. seqq. add. Disput. sub Præs. Excellent. Dn. Præs. habita de Directâ Probatione negativ.*

## §. XI.

Si deficit jam in probatione Inquisitus, neque tum ad Torturam confugiendū, i. e. ad violentas istas quæstiones. *Nov. 134. c. fin. de quib. Cassiodor. L. III. Epist. 46. ait: gravior est spes repentinæ mortis experere, quàm tormentorum crudelia sustinere; sed cautè hic procedendum: & cùm Inquisitus delictum fateri nolit, operam navare debet Judex, ut eum aliis probandi modis convincere possit; convictus enim probationibus non minùs ac confessus condemnatur. L. 16. C. de pœn.* Compendiosam probandi viam exhibet JCtus in *L. fin. C. de probat.* nempe 1. per testes: 2. Instrumenta: & 3. demum per indicia, qui modus artificialis dicitur.

## §. XII.

Ex hâc L. communiter colligunt DD. probationes



tiones in Criminalibus luce meridianâ clariores esse debere, ut hinc ex semi-plenâ minimè quis convinci & condemnari possit: semi-plena enim probatio imperfecta est, nec Judici tantam fidem facit, ut condemnari queat reus; quod inprimis *ex L. 14. C. de accusat.* sumendum, ubi expressè graviora argumenta tam in criminalibus, quam civilibus desiderantur. *Gail. Lib. II. Obs. 94. & Lib. I. Obs. 208. n. 13. conf. Disput. sub Præs. Dn. Lynkeri habita, de Semiplen. probation. C. III. §. IV.* Et sic quoque in nostro casu ad probandum autorem rixæ duo testes omni exceptione majores requiruntur, adeò ut nec ex solius Principis assertione & testimoniò autor & Inquisitus hic condemnandus sit; uti exempla in contrarium de Henricò II, Gallorum Rege, & Paulo III. Pontif. Max. allegat *Bodin. de Republ. L. 6. c. 6.* Si enim Principis assertum sufficiens ad condemnationem esset, utique in facultate Principis staret, aliquem sine causæ cognitione contra Jura divina & naturalia occidere. *conf. cap. veniens 10. cap. Licet universis 23. X. de Testibus.* (de ipsâ formatione, verò articulorum probatorialium, & ipsâ depositione testium *vid. Carpz. Prax. Crimin. P. III. Qu. 114. n. 7. & seqq.*) *Artic. 67. ordin. Crim. conf. Deut. cap. XIX. v. 15. & cap. XVII. v. 7.* Alter modus per Instrumenta probandi, quamvis certum sit, quòd aliis in delictis etiam per Instrumenta probari quid possit, de quâ probatione pluribus *Brumm. in Process. Inquisit.* in autorem tamen rixæ adhiberi vix potest, nec locum sibi ullò modò vindicabit. Tertium itaque



aggredior modum probandi per indicia, cum quæ non sufficiunt, ut inquisitus statim pro autore rixæ habeatur, illud tamen operantur, ut propiùs ad veritatem accedi possit, adeò ut præviis sufficientibus indiciis inquisitus urgendus sit, ut ipse delictum confiteatur. Fit verò hæc convictio denique per Torturam, tanquam subsidiarium remedium; locum enim habet, si aliæ probationes non adsunt. *Carpz. P. III. Qu. 122. n. 8. & 9.* Quod remedium, quando locum habeat, operæ pretium puto ut paulò clariùs explicem; licet enim ea indicia certis LL. definiri non possint, sed Judicis arbitrio, quænam inveniuntur sufficientia, cum certum quid de iis statui nequeat, relinquendum non pauci putent, *arg. L. 3. §. ejusd. ff. de Testibus*; nihilominus tamen varia, veluti exempla, tradi solent ac possunt, ex quibus præsumptio contra hunc autorem, aut minùs plena probatio, vel ex confessione, vel unius testis depositione elicitur.

## §. XIII.

Nec adversatur, quòd torquere non liceat milites, decuriones, nobiles, studiosos, Clericos & similes person. *L. 8. & 16. C. de questionib. L. 8. & 10. C. de dignit.* nam illud singulare harum personarum beneficium est, quod tamen in atrocissimis illis maleficiis, quæ instar criminis læsæ Majestatis sunt, & ad illud accedunt, locum non habet, ubi nemo exipitur. *L. Nullus. C. ad L. Jul. Majest. L. 21. C. de Fals. L. Proditores. ff. de Re Milit. Carpz. Qu. 118. n. 89.* Quoad gradus tamen torturæ (tres enim regula-

riter



riter ejus gradus referuntur, infimus, medius, & summus, etsi quinque statuat *Clar. §. ult. Qu. 64. n. 31.*) ante omnia ratio Judici sapienti habenda est qualitatis personæ & indiciorum; dantur enim variæ hominum conditiones. Hinc *Menoch. Lib. II. de Arbitr. Jud. quest. Cent. III. Cas. 271.* docet, torturam adhibendam esse cum moderamine secundum qualitatem personæ, delicti, indiciorum. *conf. art. 58. const. Crim.* Exceptæ sic suprâ personæ, nec tam facile nec tam graviter torquendæ sunt, uti ceteræ, quæ nullum habent privilegium.

## §. XIV.

Sufficiens igitur ad torturam indicium erit, si autor hic in rixâ principaliter cum gladiô nudatô, aut aliô simili instrumentô visus sit, quippe animus occidendi ex instrumentô tali præsumitur in *L. 1. §. Divus ff. ad L. Cornel. de Sicariis*, aut, si ex locô istô gladiô sanguine purpuratô, aut vestimentis cruore tinctis, processisse deprehensus sit: militat enim præsumptio contra eum, qui rixæ autor est, & inimicus occisi. *art. 34. Const. Crim. Zanger. de Tort. c. 2. n. 61. §. 162.* Cessant verò indicia, si autor hic contrariûs in medium probationibus adductis aliud ostendat: v. g. se gladium alteri commodavisse, aut illum ipsi ante rixam surreptum esse. *Carpz. P. III. Qu. 122. n. 7.*

## §. XV.

Quæstioni ut subjiciatur hic Inquisitus, facit quoque præsumptio ex confessione propriâ extrajudiciali. Cujus rei rationem esse volunt communiter DD. quòd talis confessio extrajudicialis facere



foleat femiplenâ minimùm probationem. *Bartol. in L. admonendi ff. de Jurej.* Verùm cùm hîc agatur res magni momenti, & nihil crudeliùs sit, quàm hominem, ad divinam imaginem conditum &c. equuleis, fideiculis, torquere & quasi excarnificare, sententiam hanc cum *Menoch. Lib. I. Qu. 89. n. 14. & seqq.* probò, si talis confessio cum rei, loci, temporis, aliisve circumstantiis conveniat: aliàs enim metus torturæ suspectam facit confessionem ipsumque indicium. *conf. Blanc. de indicis n. 207.* Idem dicendum, si non ferio, sed jocose facta, v. g. inter pueros & similes personas; talis enim confessio prorsus est nulla. *Marsil. Pract. Criminal. §. diligenter n. 36. Ummius Disput. 13. n. 58.* Necessariò verò ipsa confessio probanda est duobus testibus omni exceptione majoribus, aut testimoniò unius, omni exceptione majoris, accedente suppletoriò Juramentò. *Bartol. ad L. ult. ff. de questionib.*

## §. XVI.

Simile indicium resultat ex depositione unius testis, omni exceptione majoris, i. e. testis, cui nulla exceptio objici potest, vel qui nullâ ratione potest rejici: ein Glaubhafftiger / guter / und unverwerfflicher Zeuge / der Unverläumdhet / und sonst mit keiner rechtmäßigen Ursache zu verwerffen: quippe hâc ratione delictum femiplenè probatum est; ad Torturam verò semi-plena probatio sufficit, (non obstante *L. fin. C. de Probat.* Resp. enim, quòd ibi non de torturâ agatur, sed de ipsâ sententiâ condemnatoriâ, ad quam semi-plena probatio non admittitur. *Zæf. ad*



ad ff. de question. n. 9. ) Ord. Crim. art. 30. Lynker. in  
 cit. Dissert. cap. pen. §. IV. Glos. ad L. 3. C. ad L. Jul.  
 Majest. Bartol. ad L. 1. §. idem & L. Maritus ff. de  
 question. modò non aliæ conjecturæ seu circumstan-  
 tiæ resistant. Malè hic DD. de solâ famâ idem præ-  
 dicant, quasi ad quæstionem satis præsumptionis præ-  
 se habeat, etsi vice quasi sit accusatoris. Nec his ad-  
 versum erit, quòd fama instar publici testimonii sit,  
 fidemque augeat, ac inter species semi-plenæ pro-  
 bationis à DD. referatur. Nam ad torturam non satis  
 prægnans causa est, neque propriè semi-plenè probat;  
 imò hæc DD. opinio omni destituitur Juris textu. Et  
 hinc certè concluditur, quamvis ad inquirendum,  
 non tamen ad torquendum inquisitum Judici occa-  
 sionem præbere. *Clar. §. fin. Qu. 21. n. 1. Zæf. ad ff.  
 de question. n. 15. cap. qualiter & quando X. de accu-  
 sat.* Imò fama plus mali, quàm boni regulariter mi-  
 nari solet: quod Seneca *Traged.* egregiè *Lib. 4.* his  
 verbis, *Fama vix vero favet*, expresit.

## §. XVII.

Prægnans porrò ad Torturam indicium &  
 suspectum facit, quasi autorem cædis, fuga in-  
 quit: quod tamen ita intelligi puto, si v. g. quis talis  
 homicidii ab aliò reus reputetur, aut accusetur, quò  
 modò, ipsâ fugâ probatâ, ferè probatum erit deli-  
 ctum: quod procedit in utròque casu, ubi scil. quis in  
 carcere, vel extra illum constitutus, effugit. *L. Deser-  
 torem ff. de Re milit. L. 1. & 2. C. de Desertor. Me-  
 noch. L. 1. Præsumpt. Qu. 89. n. 42.* Sciendum  
 quoque, quòd & ille habeatur, hòc casu pro  
 fugi-



fugitivô, qui se ad fugam præparat: *Boër. Decis. 215. n. 2.* eadem enim suspicionis causa hîc est, sive quis in fugâ, sive in procinctu sit. *Côler. p. 1. de Process. Exec. 2. n. 127. Gail. Lib. II. obs. 109. Ummius Disput. XV/III. n. 9.* Si verò fuga hæc cum effractione & conspiratione fiat, non solum indicium ad torturam, verum etiam ad condemnationem operatur. *L. in eos 13. ff. de Custod.* Cessat verò hæc præsumptio I. si hic, cui fuga objicitur, sponte iterum in Judicium veniat, ac ritè se defendat. *Barol. ad L. quod si fug. §. Scientia ff. de Edil. Edict. II.* si hic negotiationum vel similitum causâ procul ab urbe recedere solitus sit. *Barol. ad L. Bonæ fidei C. de Jur. F. III. In eò, qui injustè fuerit detentus. L. 1. de bon. cor. qui ante sentent. &c.*

## §. XVIII.

Idem operatur inimicitia capitalis, non quidem sola, sed concurrentibus aliis indiciis, uti v. g. si inimicus minatus, qui minas exequi solitus est, aut si visus sit in armis per locum transire ubi occisus inventus est, aut si inquisitus hic visus sit cum interfecto altercari, eique gladio vel aliò instrumentò vim inferre, at non, si tantum interfuerit eòdem tempore, quò orta rixa, ipsumq; homicidium secutum. per *L. 3. §. ejusd. ff. de Testibus L. 1. §. præterea ff. de question. Zang. de Qu. C. II. n. 61. Crim. Const. art. 34.* Nec solæ minæ, non concurrentibus aliis adminiculis illud efficiunt; multa enim verba sæpe calore iracundiæ proferri solent, quæ executioni non statim mandantur. *arg. L. Famosi*



Famof. §. i. ff. ad L. Ful. Majest. vid. Carpz. Prax. Crimin. p. III. Qu. 121. n. 50. seqq.

## §. XIX.

Talem quoque præfumptionem facit mendacium & ipsa variatio responsionis ipsius inquisiti; in primis si variatio hæc propriam concernit defensionem ac cum trepidatione conjuncta sit. *Bartol. ad L. de minore. §. plurimum. n. 3. & in L. ult. n. 3. ff. de quæstion.* Evanescit verò hoc indicium si variatio hæc ipsius inquisiti defensionem non tangat. *Blanc. in Tract. de Indiciis & Tortur. n. 269.* Quò tamen casu territioni reali locum esse insuper volunt DD. cujus quoque gradus cum sint, solent illi formulâ definir: uti, daß dem inquisito der Scharfrichter für zustellen / alle seine zur Peinligkeit gehörige Instrumenta für zulegen / und zu thun / als ob er ihn angreifen wolle. Vel ita ulterius: Daß der Gefangene dem Scharfrichter auf diese masse zu untergeben / daß er ihn mag angreifen / ausziehen / zur Leiter führen &c. Interdum verò, concurrentibus aliis circumstantiis, additur: Und / wo dieses bey Inquisiten nichts fruchtet / wird dem Nachrichten ferner Gewalt verstattet / mit den Daumschrauben und Schnüren den Anfang zu machen / jedoch / daß es bey dem Verbleibe. *Dissert. sub Præsid. Dn. Casp. Ziegler. Witteberg. habit. de Torturis c. II. §. VII.*

## §. XX.

Denique simile indicium exhibit quoque ipsa attestatio offensi seu occisi, si nimirum moribundus ex vulnere certum autorem rixæ constanter & cum

D

magnâ



magnâ asseveratione occisorem nominaverit, aut hoc Jurejurandò corroboraverit, accidentibus aliis adminiculis; sola enim asseveratio morientis absque aliis causis non faciet integrum Torturæ indicium; quod collig. ex ord. *Crim. articul. 25. §.* Zum sechsten. Ibi: so ein Verletzter oder beschädigter aus eylichen Ursachen jemand der Missethat selbst zeigt / darauf stirbet / oder bey seinem Eynde betheuert &c. unicus enim testis non omni exceptione major minimè facit indicium ad hanc quæstionem; quòd verò hic omni exceptione major non sit, ex eò probatur, quoniam nemo pro se ipsò seu in causâ propriâ idoneum testimonium dicere potest. *L. 10. ff. de Testib. L. 9. C. eod.* Videndum itaque an alia adhuc adminicula adsint. *L. 3. ff. §. 1. ad Scutum Sytan.* Nulla verò hæc erit præsumptio, si moriens alienus à mente & intellectu fuerit. *Marfil. in Pract. Crimin. §. diligenter n. 123.*

## §. XXI.

Quid sentiendum de periculosissimò indicio, quod oritur ex ipsâ profluxione seu ebullitione sanguinis, jam tùm alii ad ravim usque pertractârunt, & cum ea sæpissimè in putrefactis corporibus contingat, hinc maximè fallax est, nec sufficiens ad torturam dictitandam, ubi benè arguit *Carpz. Pr. Crim. p. III. Qu. 122. n. 28. & seqq.* etsi contrarium velit *Berlich. P. IV. Conclus. II. n. 74.* & alii non profus rejciendum, aliis quibusdam adminiculantibus præsumptionibus, existiment. *Carpz. d. l. n. 36.* Nos penitus inane ac superstitiosum credimus, tùm ex rationi-



tionibus à *Carpz. d. l. n. 30. 31.* allatis, ubi ipse testatur, verò reò præfente nihil emiffum, aliò suspectò sc. in fonte, emiffum fuiffe: tum inprimis, quia nihil naturalius & facilius, quàm ut recenti cadavere fanguis jam impeditus, quos solet meatus percurrere, exitum, quâ viâ per nares, os vel vulnus patet, quærat.

## §. XXII.

Alia adhuc allegari potuiffent, verùm, cùm eorum tanta fit amplitudo, ut certis limitibus describi, aut certa ob varietatem circumstantiarum regula, uti supra dictum, de iis statui nequeat, sufficiant interim hæc, duabus faltem pro Judice hóc passu notatis cautelis; primò, quòd hïc, novis conjecturis resultantibus, si inquisitus pertinax in negandò sit, aut, si id, quòd in tormentis confessus est, postea non ratificet, torturam iterum & tertium reiterare possit, antequàm reum absolvat. *art. 57. Const. Grim. L. 18. §. 1. ff. de question.* Excipitur casus, si tortus probabilem causam & errorem suæ confessionis probaverit, per expressam limitationem dicti *artic. verb.* Es wäre den / daß der Gefangene &c. Errore enim confessionis probatò, cessat præsumptio ex confessione nata.

## §. XXIII.

Altera cautela est, quòd Judex in casu, ubi plures æque sunt suspecti, & omnes tormentis subijciendi, valde sit providus, & incipiat ab eò, qui maximè timidus est, aut teneritudine lubricæ ætatis prius quid fateri creditur. per *L. 18. pr. ff. de question. conf. L. 1. §. 2. cod. tit.*



CLASSIS III.  
DE  
POENA AUTORIS RIXÆ.  
SUMMARIÆ.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. <i>Pœna autoris rixæ non est arbitraria, sed gladii, si de ejus animo occidendi constet, inprimis si ipse interfecit ibid. Nec audiendus quando se in periculo mortis constitutum fuisse allegat.</i></p> <p>2. <i>Qualis pœna, si plures</i></p> | <p><i>sint autores rixæ, ubi distinguendô Resp.</i></p> <p>3. <i>Quid Juris circa absentem &amp; fugientem autorem rixæ, item an admittendus sit in ejus inquisitione Procurator, it. an Judici eum; ut contumacem condemnare liceat.</i></p> |
|---|---|

§. I.

**C**onvictum, & post torturam ratificandô confessum autorem nostrum, tandem sequitur pœna, & quamvis hæc aliàs per *artic. 148. Const. Crimin.* in genere arbitraria esse soleat; si tamen de animo occidendi autoris constet, ipsum scil. propterea rixam movisse, ut homicidium sequatur, regulariter pœna gladii obtinebit, etsi in ipsô tumultu alius, qui fortè nescitur, occidit. Hic enim pro omnibus excessibus perperratis puniendus, dum ipse faber suæ fortunæ est: æquum ergò, ut quos fecit aliis compedes, fa-  
ber



ber ipse gestet, & ne delicta hæc gravia maneant, impunita. *arg. text. express. in L. 6. C. ad L. Jul. de vi publ. L. 3. §. 4. ad L. Cornel. de Sicar. L. 10. ff. de serv. corrupt.* æquius est præ cæteris teneri eum, qui Princeps fuerit delicti; *Brunn. ad diſt. LL. Menoch. Caf. 362. n. 23.* multò magis verò si ipse & interfecit. *L. II. §. 2. ff. ad L. aquil. artic. 148. Const. Crimin. Gail. L. II. Obs. 109. n. 3.* nec eum juvabit, si autor allegare vellet, se in eâdem rixâ in discrimine vitæ constitutum fuisse, nisi provocatum occidendò seipsû defendisset: quoniam offendendo non defendendo in id discrimen venit, nec proinde pœnam ordinariam homicidii evitabit. *Carpz. P. I. Qu. 29. n. 42.* (ubi egregias rationes contra se ipsum in *Qu. 25. n. 51.* allegat) Imò in eò qui sponte & suâ culpâ se in periculum conjecit, non habetur id pro defensione. *L. II. ff. ad L. Aquil. L. 151. ff. de R. 1.*

## §. II.

Sic porrò gravior est quæstio, quænam pœna locum obtineat, si non unus, sed plures tales reputentur autores rixæ, & de eò, qui occidit, non constat; ubi distinguendò Resp. Aut datâ operâ, deliberatòque animò rixam ad occisum interimendum moverunt, adeòque destinatò propositò ac voluntate hominis occidendi gratia, sibi que invicem operam tulerunt; aut non hòc animò, sed fortuitò casu homicidium contrigit. Priori casu omnes pœnâ ordinariâ capitali afficiuntur (etsi unum tantummodò vulnus inveniatur lethale) *L. 3. ff. ad L. Jul. de vi publ.*



*publ. art. 148. Const. Crimin. verb. so etliche Personen* &c. ex naturâ enim delictorum tot pœnas esse debere conveniens est, quotquot delinquentes seu h. l. autores rixæ, ita ut ad pœnam mitigandam in præfenti casu ne quidem referenda ratio *capit. 4. x. de Cleric. excomm.* At casu posteriori, quoniam causa, propinqua seu ordinata mortis in his autoribus cessat, de quâ propriè *L. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* loquitur, hinc meritò pœnâ arbitrariâ seu extraordinariâ puniuntur, & quidem vel pecuniariâ, vel etiam relegatione. *L. 11. §. 4. ad L. Aquil. arg. L. nemo C. de Episcop. audient. Clar. §. Homicidium vers. 37.*

## §. III.

Restaret adhuc, ut tractarem quid juris circa absentem & fugientem autorem rixæ; verùm quoniam procurator ejus in tali inquisitione non admittitur, uti docet nuperrima *Dissert. sub Præs. Excell. Dn. Præs. habita de Judice, Fusignorante Class. II. §. II.* illud superfedeo, & sufficiet, si coronidis locò pauca hæc prioribus addo, quòd Judici interim incumbat ut fugitivum, si ad citationem edictalem venire nolit, vel absentem literis patentibus durch öffentliche Stöck-Brieffe persequatur, si verò nec eò modò ad comparitionem adigatur, ei permittatur in bona ipsius grassari, ac tanquam contumacem tùm quoad pœnam publicam tùm quoque interessè privatum eum condemnare. *Brunnem, Cent. I. Decis. LII.*

p. m. 36.

S. D. G.



## COROLLARIA.

I.

Civili non tantum Jure, sed omnium ferè Christianorum, quin plurimarum Gentium Jure, haud immeritò profligata est Polygamia, at Jure naturali ac divinò eam prohibitam esse, non equidem fatis apparet.

II.

Usuraria pravitas infamiam & privationem tam honestæ sepulturæ quàm testamenti factionis infert: quæritur, an id usu obtineat? Affirmativam nunc tuebimur.

III.

Committitur etiam Crimen læsæ Majestatis, quando privatus in Republ. ad eam evertendam seu labefactandam varios motus, aut in eam rem illicita conventicula excitat.

IV.

Ultimum supplicium præcipuè seditiosis in ædibus sacris *L. 5. C. de his qui ad Eccles. confug. minatur.*

V.

Calumniator adhuc hodie dicitur, qui in alterius fraudem falsa denunciat Judici.

VI.

Unde & talis ipsò Jure *per L. 8. C. de Calumniat.* fit infamis, aliisque pœnis pro ratione delicti ipsi infligen-



7  
infligendis obnoxius est (multò magis si hic malæ  
conditionis sit, germ. wann der Verläumber ein bö-  
ses Gerichte für sich hat / und sonst verdächtigt ist.)

VII.

**O**Mne bellum est justum, nec datur bellum inju-  
stum.

VIII.

**D**ominii Jure abutendi & perdendi quoque facul-  
tas continetur, quæ cum imperiò ejusque S. S.  
potestate maximè omnium pugnat.

IX.

**R**idicula est quæstio, an in præscriptione imme-  
moriali requiratur bona fides.

X.

**M**Os Romanorum aliarumque gentium cadave-  
ra humana cremantium, & cineres urnis con-  
servantium laudabilis fuit, & summoperè laudan-  
dus est.





ULB Halle 3  
003 499 731  


*5b*

*VD 7P*









nti  
unt  
thol  
en.  
lpo  
osse  
quir  
iviu  
ux è  
teri  
n est  
ejus  
im a  
es de  
alleg  
obste  
testa  
beitt  
ntesta  
ul suo  
esfio  
egiti  
tarun  
re non  
imo c  
etur



15. 44. Gr. 77. num. 77.  
1701, 6a

VERO JEHOVAH FORTUNANTE,  
DISSERTATIONEM INAUGURALEM  
DE  
EO, QUOD JUSTUM  
EST CIRCA INQUISITIONEM  
IN AUTOREM RIXÆ, SI DE  
OCCISORE NON CONSTAT,  
IN ALMA VIADRINA  
SUFFRAGANTE FCTORUM FACUL-  
TATE AMPLISSIMA  
SUB PRÆSIDIO  
DN. HENRICI COCCEJI,  
JCTI

CONSILIAR. S. REGIÆ MAJESTATIS IN BORUSSIA  
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIJ & PROFESSOR. PRIMARIJ &  
H. T. DECANI. SERENISSIM. & POTENTISSI. REGI IN  
BORUSSIA AB AUL. REG. & ELECT. CONSILIJS.  
ANTEA SUMMI CONSILLII STAT. ELECTOR. PALATINJ  
& COLLEG. REVISOR. ASSESSORIS IN ACADEM. HEIDELBERG.  
DECRETAL. PANDECT. & JUR. GENT. PROF. PUBL. ORDIN.  
*Fautoris & Præceptoris sui ad cineres Devenerandi,*  
HONORES IN JURE UTROQUE ET DOCTORALIA PRIVI-  
LEGIA CONSEQUENDI  
publico examini submittit  
Ad D. XI. Junii horis ante- & Pomeridianis, Ann. MDC CI.

CHRISTOPH. ERDM. NEANDER,  
Francofurt. Marchic. Jur. Practic.

FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Læteris TOBIÆ SCHWARTZIL

